

8. capite 2:³⁰ *Plurimae sane potabili aqua.* An vero aqua pluvia mixta est; et si haec mixta est, quae nam simplex est? Ait multo minus rationabile esse aerem corporescere.

- Si scirem, quae animalia Pythagorei odoribus vivere dixissent, conferrem aeris corporescentiam cum aquae corporescentia, quae non solum nutrit, humores et carnes creat, sed etiam durissimas crustas circumcrescere facit carnibus piscium eorum, qui affixi manent, hos enim omnes sola aqua potabili nutriti ipse idem scribit modo allato capite in haec verba:³¹ *Ostraceorum animalium, quae immobilia sunt, nutriuntur potabili.* Hanc esse mari tenuorem addit:³² *Penetrat enim per densa, quia tenuior est mari concoquente.* Si ergo tenuis aqua sola incommixta nutrit et ita nutrit, ut ex ea corporescant durissimae ostreae, cur non et aerem rationabile est ita corporescere in carnem saltem aliquam, qualis est chamaeleontis caro, quem multi amici mei et ego multoties in Cypro cum essem, multos dies ac menses vivos habuimus, nec umquam, etiamsi varias herbas, folia, flores, semina, insecta, alia apponemus, quicquam comedere advertimus aere nutriti concludebamus, et rorido aere exhilarabantur.
- 20 Sed mamicodiata^{xviii} avicula Indica, quae numquam terram aut solidum quicquam contingere est a multis et indigenis et nostratis curiosis viris visa, carnes tamen, nervos, ossa, rostrum, plumas habet: in aere nasci, in aere vivere ac mori creditur, qua alia re nutriti est existimanda quam aere? Quod si verum est in mamicodiata et in chamaeleonte, verum est aerem corporescere. Si aer corporescit, corporescit etiam vapor, qui sedes est odorum, res aere crassior et compositior, possibilis ergo est Pythagoreorum traditio. Non ergo iure est ab Aristotele reprehensa.

FINIS.

³⁰ αἱ μὲν δὴ πλεῖσται τῷ ποτίμῳ ὕδατι [ARIST. H A. 592a.1 – 2]

³¹ τῶν μὲν οὖν ὀστρακοδέρμων ζώων τὰ μὲν ἀκινητίζοντα τρέφεται τῷ ποτίμῳ. [ARIST. H A. 590a.18 – 20]

³² διηθεῖται γάρ διὰ τῶν πυκνῶν, διὰ τὸ λεπτότερον εἶναι τῆς θαλάττης συμπεπτομένης. [ARIST. H A. 590a.20 – 21]

xviii Češći je oblik riječi *manucodiata*.